

PAMFLET
204





















BREVIS

NARRATIO DE OBSIDIONE ALCMAriana, quam post hebdomades septem, Anno 1573. Hispanus cum magno suo damno atque ignominia dimittere coactus est.

AVCTORE NANNIO FORESTO ALCMARIANO.



DELPHIS

Excudebat, Anno Domini

M.D.LXXIIII.

Psalmo 33.

Non seruatur rex, eò quod multum habuerit exercitum. heros nequaquam per multam virtutem suam pericula euadit.

1. Samuel 14.

Non est Domino difficile, seruare in paucitate.

2. Paralip. 14.

Domine nihil refert apud te, vt auxilium feras vel multis, vel his quibus non est robur.

1 Machab. 3.

Non in multitudine sua est victoria bellica, sed potentia e cœlo.



AMPLISSIMO SENATVI POPVLOQVE Alcmariano, Nannius Forestus Alcmarianus salutem ac pacem precatur.

IN istis rerum publicarum naufragiis, regnorum populorumque dissipatione atque vastitate horrenda, quam sub huius mundi finem Satanas acerrimus infestissimusque humani generis hostis pro suo furore ac rabie passim administrat: ingens profectò Dei donum est viri clarissimi, quod in extremis aliquot orbis terrarũ angulis atque oppidis politici ordinis atque Ecclesiæ reliquas conservari videmus. Etsi enim diabolus per administros suos (quorum vt magnus est numerus, vis ac potestas immensa: ita & machinationes insidiæ, ac technæ, promptæ sunt ac paratæ) ciuilis societatis ac communionis rationes atque vias omnes interuertere conetur, & sacros Christi

cœtus prorſus delere experimur tamen indies, ac re ipſa propius edocemur, exiguam admodum fidelium piorumq́ue manum ac gregem nullis quidem humanis præſidiis, ſed vna Dei miſericordia atq; benignitate inuiolabilem alicubi ac ſanctum cuſtodiri. Vt cum ciuilis vitæ vinculo & conſociatione purior etiã Euangelij doctrina, integra apud illos ac ſarta tecta maneat. Cuius rei, vt reliqua omnia prætermittamus, locupletiſsimum nobis teſtimonium præbet Xantonum celeberrima vrbs Rupella, quã magnus ille Galliarum Rex Carolus nonus, dum hoc ipſo vertentis anni curriculo arctiſſima grauiſsimaq́ue obſidione preſſam ſubuertere inſtituit, nihil certè aliud, quam poſt ingentes labores ſumptusq́ue caſtrenſes, cum ſummo probro atq; ignominia internecionem ſuorum ac cladem retulit, dũ deducto tandẽ exercitu libertatem religionis vrbi relinquere cogitur.

Nam

Nam vt paucis subiiciam, quod ea de re ex literis Anglicanis, in obsidione nostri oppidi nuper accepi portũ nobilißimum Rex, demersis nauibus centum quadraginta eis intercluserat, oppidum verò adhibitis machinis grauioribus septies acerrimè oppugnauit, vt tormentorũ maiorũ globi in mœnia vrbis emißi dicantur trigesies sexies milleni, atque e suis Rex dimissa obsidione disiderasse ad multa hominũ millia. Inter hæc, omnia oppidanis arctiora fiebant. Carnis enim, qua vescerentur, intra mẽses quatuor nihil repertum: de pane autẽ cibario, qui tribus mẽsibus defecisse dicitur, aliquid adseruatũ a matronis, quæ pugnaturis cum hoste oppidanis quasi demensum quoddam inde porrigebãt. In tanta autem penuria ac rerum egestate, preces ad Deum ardentes atq; indefessas Rupellani effuderunt, concionibus indies in muris etiam ad armatos habitis. Exaudiuit & illos

 Deus,

Deus, piscitij genere intra occlusi portus stagna lacusque largißimè concesso, quo obsesßi ad capitum millia quatuordecim famem tolerarunt, oleo, vino, saccaro, ac sale, quorũ nullus ibidem defectus erat, parcè ac frugaliter adhibito. Nam & lac de vaccis quindecim, ac de ouibus triginta in ægrorum infantiumque vsum ac necessitatẽ admensum. Tãdem Rex, quum neque machinis suis vrbem expugnari, neque frangi oppidanos atq; domari cibariorum tenuitate et inopia posse animaduerteret: pacificationem illis, quam ante triennium sanxerat, confirmauit additis pro eorum securitate oppidis quatuor, quæ in sua ipsi potestate haberent. Quam tàm insignem memorabilemque verè piorum ac fidelium liberationem, si cum nostræ obsidionis conditione atque exitu componamus: erimus quidem tormentariorum ictuum

ac præliorum numero inferiores, ſed decertandi diligentia conſtantiáque, ad-miniſtrandi belli ratione ac modo, quo-rumcunque incommodorum patientia ac toleratione, denique victoriæ laude ac gloria, ſi non ſuperiores, pares ſal-tem reperiemur. Nam ad quater fe-rè millenos bombardarum ictus in vr-bem excepimus, repetitáque ſexies hor-rendum in modum oppugnatione, ni-hil in noſtrorum alacritate, nihil in perſeuerantia, nihil in munitionibus, aliiſque operibus publicis continuan-dis, nihil denique in viribus animiſ-que certantum deſideratum eſt. Ac permirum etiam hoſti viſum, ea pro-pugnatorum raritate toties redintegra-tæ, ac tam arduæ oppugnationis vim at-que impetum potuiſſe a noſtris ſuſti-neri. Et vero, ne in vrbe circumſeſ-ſa iniquius præbita carne ac lacticiniis,

popularis aliquis tumultus ac ſeditio exoriretur: ſãctiſsimis æquiſsimiſque legibus maturè a vobis Viri ampliſsimi, eſt prouiſum, militum exhibendorũ, quoad eius fieri potuit, æquabilis inter ciues tolerabilisq; diſtributio, frumentaria aliarumque rerum in publicum largitio, moderatè facta. Nec ciues eorũ, quæ ad pacem concordiamque cum ſtipẽdiariis retinendam pertinebant, quicquã prætermiſère, paratis nõnullis famem potius & inediam perpeti, quam illis ad veſcẽdum quid deeſſet. Nam vtcumq; rerum neceſſariarum copia in vrbe ac facultas ſuppetebat, plæriq́ue tamen ciuium propter belli huius diuturnitatẽ, quum ad ſubleuãdos militiæ ſumptus crebrò aliquid de ſuo contuliſſent tenuiores erant redditi, ac ſuam ipſi rem familiarem ægrè admodum ſuſtinebant. In Eccleſia autem fidelium tametſi altero miniſtrorum Ioanne Arnoldo viro præſtãtiſsimo eſſet orbata, alter

alter verò morbo apprehensus lecto de-
cumberet: statis tamen diebus prælectio-
nes fiebant e scripturis sanctis, atq; e nu-
mero seniorum quispiam preces publicas
præibat, vt isto conuentu frequentiáque
pij testarētur, se in istis ærumnis, ac dif-
ficultatibus ad vnū Deum pro auxilio ac
liberatione confugere. Nec ambigēdum,
quin fidelium orationes lacrymæ ac suspi-
ria obsessis pro muro & arce inuictissi-
ma fuerint. Quid enim quæso aliud dice-
mus, quam quos socij ac fœderati pro de-
relicto videbātur habuisse, eos diuinitus
fuisse adiutos, ereptosque veluti e fauci-
bus immanissimarum belluarum? an non
e cœlis pugnatū est, quum hostis cōtinuis
imbribus, aqua, pluuia, procellis, tempe-
statibus vētis ac grādine coactus est eam
oppidi partem, quæ in septentrionē atque
ortum solis spectat, ab obsidione vacuam
relinquere? alioqui quis oppidanis, præsi-
diariisq; in ipsa certaminis acie, tam ma-

 sculum

sculum pectus, tantum animi robur indi-
dit, vt in hostē numerosissimum valentis-
simūque intrepide atq; alacriter pro sua
paucitate insurgerent? nonne is demum
Deus, qui Hispanorū consilia, machina-
tiones, insidias, conatusque omnes facile
elusit, ac profligatis iis victoriam nobis
cōcessit? Glorientur ergo Rupellani, quod
Dei beneficentia ex grauissima obsidione
emerserint in iucundissimā vitæ ac for-
tunarū libertatem: gloriabimur & nos,
ac profectò multo magis gloriabimur,
quum ad desperationem omnia nobis ver-
gerent, vnius tamen Dei ope atque auxi-
lio adeptos esse, vt quum hostis in oppug-
natione oppidi nihil proficeret, post
hebdomades septem cum dedecore exer-
citum deduxerit. Cæterum quum in is-
stam obsidionem multa incidissent, quæ
nepotibus ac posteris nostris tanquam
per manus tradi plurimum referat: ve-
stris primum atque amicorum postulatis
obse-

obsequutus, epitomen ac breuiariũ quoddam totius obsidionis congessi, actis quibusq́ue in suos dies veluti classes distributis. Tantum enim abest, vt iustam harum rerum historiã edere voluerim (quã ad rẽ vt ingenuè fatear, neq; ingenij acies atq; solertia mihi suppetit, neq; vacui tẽporis atq; otij est satis) vt ab initio notaduntaxat ac coniectionẽ eorum, quæ per id temporis euenerant, ad memoriam posteritatis cõscripserim, facta potestate ei, qui nostræ tempestatis res Belgicas fusius ac plenius persequi velit, vt vel hinc ad contexendã in vniuersum historiam mutuetur: quæ instituto suo cõuenire iudicabit. Redegi autem scripto partim ea, quæ in castris hostium accidisse captiuorum perfugarumq́ue sermonibus accepi, in quibus fortaßis reperientur, quæ paulo aliter atque illi dixerint, se habeant, partim quæ in vrbe ac Repub. facta sunt. Ea enim, vel corã ipse vna cũ reliquis in

oppidum

oppidum inclusus oculis meis subiecta vidi, vel ab iis, qui cum gererentur, præsto fuerūt, propius inuestigata explorataque comperi. Verum quicquid hoc est libelli, inter bombardarū horrēda illa tonitrua, fragores, crepitusque hostiliū armorum, dum in muris & ipse cum cæteris hastatus consisto, ferè sum meditatus. Ad vesperum autē & in multā plerūque noctem conscripsi, si quid dignū memoria, anteactæ diei fatū peperisset. In quas certè tēporis angustias inclusus, excusationē ni fallor habebo, quod absq; vllis verborum phaleris pigmentisque rhetorū, siue rerū sententiarūq; amplitudine ac maiestate, quā suo iure historia flagitare videtur, simplicē et nudā rerū gestarū seriē obiter attigi. Eorum autē omnium, quæ hic narrantur, finis ac scopus is est, vt exēplis ac reipsa cōdocefiāt improbi ac scelerati duces, quāuis ad bellū recte administrandū parandāque victoriā nihil prorsus deesse

sibi

sibi existiment: Deo tamen abundè ad manũ & in promptu esse, quo hostiũ suorum fastum ac superbiam deiiciat: retundat peruicaciã atque insolẽtiam: insidias & machinationes reddat irritas, potentiam & vires vniuersas semel frangat. At contra pij omnes, quum in summa plerumque rerũ omnium desperatione ac periculo versentur, vt nullum omninò consiliorũ suarumque rationũ, exitum præ oculis cernant, istis tamen quasi familiaribus documẽtis commonefient, ad omnes casus fixam immotãque in Deo spem retinendam esse, qui suos nunquam deserat.

Vobis autem Viri ornatissimi ciues mei, qualemcũque istum partum meũ in clientelã offero, vt a morsibus ac calũniis maleuolorũ quorundam, qui obtrectando sugillandoque bonorũ quorumcũque studiis perniciosè obstrepũt, probè defendatis ac tueamini. Etsi enim ego gloriæ ac laudis omnis iam pridem sim satur, homo

ad

ad purpuratos istos aulicos: vestrarũ tamen erit partiũ propositis quibusdã præmiorũ inuitamentis excitare totius ciuitatis pubẽ vt ingenij virtutisque cultum aliquem capessat: vt linguarũ atque omnium, quæ ad humanitatem pertinẽt, artium atq; disciplinarũ cognitionẽ ad suum vsum & vtilitatẽ adiungat. Ita Alcmaria, quæ & olim clarissimæ scholæ præconio apud exteros cõmendata est, tãdem veluti seminariũ nobis reddetur Reipub. atq; Ecclesiæ Christi, quarũ hæc defectu ministrorũ in ipso natiuitatis primordio, ac veluti inter manus obstetricis breui exspiratura videtur, illa verò tot casibus rerũq; cõuersionibus iactata, nihil aliud quã naufragiũ atq; interitum nobis minatur, nisi repẽtè gubernatores aliqui summittãtur, qui et rerũ gerendarũ & artiũ literarũq; scientia muniti instructiq; nauem istã scitè regãt, in qua cum presentissimo vitæ ac facultatũ discrimine sumus omnes. Adhæc et domestico exẽplo cõmo-

ne fieri vos oportuisse iudicabã, ne si quæ rursum fatalis calamitas aut tristioris fortunæ casus inopinatò extiterit, statim ac si conclamatum iam esset gradu constãtiæ deiecti, fractiq; animis concidatis, sed potius recordatione victoriæ, quam præter omniũ expectationẽ adepti intra ciuitatis nostræ muros poßidemus, excitemini ad certißimã liberationis spẽ atq; fiduciã. Ille enim idẽ Deus, qui Hispanos a ceruicibus vestris depulit, in posterum quoq; ab incursionibus eorũ et iniustißimo dominatu tutos saluosq; præstabit, si modò in illius fiduciã curãq; securè incũbatis. Ego verò qui et inter ciues vna accẽsendus iurisiurãdi sacrosancta publicaq; fide & honorati cuiusdam muneris autoramento vobis arctißimè deuinctus sum, me ex eorũ esse numero nequaquam diffiteor, qui conatus suos omnes omnia studia ac labores ad religionis tutelam & conseruationem, simul & Reipub. tranquillitatem atque pacem referunt.

Et vt nullum in ea re operæ pretium faciã, ingenij celeritate ac luce efficiendiq́ potestate destitutus, valebunt tamen suspiria mea apud Deum, ac coniunctæ cum fidelium cœtu præces, ne quã honestatis, pudicitiæ ac morũ conturbationem dissipationemq́ue ac profligationẽ solidæ pietatis Hispanus in nostram Rempub. inuehat. Quod sanè, vt Deus nobis effectũ det, etiã atq; etiam orabimus, certi omninò, pro paterna eius clemẽtia ac bonitate exauditũ iri nos, propter nomẽ vnigeniti filij sui Iesu. Deus ille Viri præstãtissimi diu vos Reipub. nostræ atque Ecclesiæ Christi saluos & incolumes præstet.

Raptim Alcmariæ, e cubiculo meo
ipsis idibus Octobris, Anno
Domini 1573.

POSTQVAM Harlemenſes, qui obſidionem ad vnā & triginta hebdomades magno animo conſtanterque tolerarāt, decimo tertio Iulij rei frumentariæ inopia ac penè enecti fame ſe permiſiſſent Hiſpanis, deditionis lege capitis fortunarūque libertatē fruſtra excipere conati: quarto die poſt, qui eſt Iulij Decimus ſextus, Hiſpani bis mille peditibus ac quingentis, equitū vero vexillationibus quatuor ad Alcmariam admotis, videbantur oppidū iſtud vel inopinatò voluiſſe capere, vel obſidione arctius claudere. Plærique autē ciuiū pauefacti ſubita animorum conſternatione, dilapſi, effractis portus ipſius repagulis, conſcenſiſque nauibus euaſêre. Verum cū Auraici, qui ab Houa caſtello Egmondenſi copias ſuas ad vrbē peroportunè adduxerāt, aditum præoccupaſſent, ac ruptis portarū clauſtris peſſulisque ſe ingeſsiſſent in vrbem: Hiſpanus irritus propoſiti receſsit. Fluctuabat tum temporis Alcmaria ancipiti prorſus ſalutis atque incolumitatis fiducia. Pōtificij enim, qui ſpe condonationis, vt plærique noſtrorū ſuſpicabantur, Hiſpanum eo deuocarāt, tametſi id clanculū ac tectè egiſſent, per occaſionē aperto iam Marte contendebāt in oppidum ad ſe hoſtē recipere. Contra noſtri inſtare, vt Auraicus miles, tuendi oppidi cauſa ceu præſidium aliquod intromitteretur, qui tandē vrbe in ſuam, vt diximus, poteſtatem redacta, factaque eruptione Hiſpanos ſubmouit, interfectis vt fertur manipulis aliquot. Nec diu Alcmaria tum circumſeſſa manſit. Qui enim vrbē captum venerāt Hiſpani, decimo octauo Iulij caſtris vico Heilo Iul.
motis, ſubitò Harlemum ad exercitum ſe receperunt. 18.
Ita vrbe Dei beneficio ab Hiſpanorum incurſionibus primum vindicata, nihil prius habuit Magiſtratus noſter, quam rem frumentariam procurare. Ac quamuis ab illuſtriſsimo Principe Auraico ſeriò imperatū fuerat reliquis VVaterlādiæ fœderatis ciuitatibus vt Alc-

mariam ceu totius Northollandiæ propugnaculũ annona,ac puluere tormentario maturè instruerent: Senatus tamen Alcmarianus per Consules suos ad comitia Hornæ ægrè obtinuit, vt ordines fidem suam interponeret de siligine & hordeo nostris in mensem vnum atque alterum coëmendo. Proinde Magistratus noster ne rebus ad victum necessariis quamprimum deficeret, in singula ciuium capita frumentum comparandum edixit, ac de puluere bombardico, quoad eius copia suppetebat, curam non superuacuam ipse egit. Ita re frumentaria, vtcunque prouisa, oppidani in muniendæ vrbis nouo opere, quod iussu Principis Auraici sub auspiciis clarissimi viri Caroli a Boisot pulchrè cœptum ad finem feliciter decurrebat, partitis temporibus alacriter pergebant. Ac mandato Iacobi Cabellaui viri optimi nobilissimique, penes quem in Præsidiarios summum erat in vrbe imperium, decimo octauo
Aug. 18. Augusti ad portam Aquilonarem, qua Hornam proficiscẽtbus terra iter est, propugnaculum extrui cœptum est a rusticis, qui opus faciendum conduxerant. Locatum autem ea lege, vt redemptor operis, intra septimanas tres prorsus absolueret. Verum eius rei, vix dum
Aug. 21. initio rectè facto hostis superuenit, siquidẽ mensis eius vigesimo primo, Hispani equestribus copiis, partim ad Nieportum, partim ad Outdorp, vicos proximos, transmisso fluuio, qui ab vrbe eos discludebat, adductis ac magno peditatu Alcmariã rursus circumsidere cœperũt, ac primum quidẽ occuparunt ædes duas, quæ extra pomœria vrbis Orientem versus ripæ adhærebant, vt portu occupato, nauigatione etiam quemadmodum & terrestri itinere, nos intercluderent. Oppidani verò eo ipso die adhibitis aliquot stipendiariis vnas ædes cum molendino igni succenderunt, sed alteras neque flammis absumere potuerunt, neque hosti eripere. Itaque nocte insequẽti Hispanus fauces portus nostri obstruxit naue perforata, ac demersa. Hoc ipso tẽpore, qui tuendi

portus

portus causa ad introitū lacus Schermerij excubias habebāt, desertis munitionibus vltrò profugerūt. Iā portus erat in hostiū manu, nec fuga modò nostris, si qua elabi voluissent, sed & subuehēdi commeatus facultas ōnis interclusa atque præcepta. Oppidani enim, vt subsidiariis nostrorū copiis aliquē ad vrbē accessum relinquerēt: eodē die emissis boreali porta, quos habebant, equitibus cōmissoque prælio conabātur Hispanos auertere ea via, quæ oppido excedentes in vicum Outdorp ducit. Verū hostis, quod militū numero longè superior esset, equitus nostros, qui ad quinquaginta duntaxat erant, tandē in vrbē compulit, itinere adituque eò occupato. In eò certamine equitum nostrorum Præfectus sauciatus paulo post ex vulnere in oppido interiit.

Vigesimo autem tertio Augusti, vt portum quoquo modo nostri recuperarēt, nauigiis adhoc paratis ignem iniicere in domu in istā quæ ad limē portus adiacebat, denuo aggrediebātur. Ciues cū altero Consulum intermixtis Præsidiariis quibusdā naues cōscenderāt, nauali prælio hostē petituri, reliqui verò, vt terra præliarētur, cōuenerant. Sed cū Hispanus velites aliquot Nieporto emisisset, qui à meridie speciē quandā oppugnantiū vrbē præberent, nostri simulatque campanæ sonitu signū datū erat, ab ista velitatione sese in oppidū receperūt, paucis ciuibus militibusque amissis. Ita omnis rei istius molitio frustra fuit. Aug. 23.

Postridie eius diei aliquos suorū ad mœnia Hispanus misit, rogatū vt fide publica nostri cum ipsis in collocutionem venirēt. Qua re ad Præfectū Cabellaum relata conuocatoque concilio, inter ipsum, Tribunos militū, Consules, ac Primores ciuitatis fide inuicem data acceptaque sanctè conuenit, ne cum hoste paciscerētur, imò ne collocutio quidē fieret. Atque ita Hispano renunciatū. Iā iacta erat belli alea. Exinde enim, cū hostis suos nō recipi ad colloquiū animaduerteret, tormentis maioribus in vrbem detonare instituit, quæ e regione Aug. 24.

 salinarum

ſalinarum collocata, nihil ferè aliud quam ædes lacerabant. Nam in aggere extruendo, muniendoque dies noctesque noſtri occupabantur.

Aug. 25. Adhæc vigiſimo quinto Auguſti cœlo albeſcēte claſsicū Hiſpanus ad portam Harlemenſem cecinit, voluitque videri oppugnationē orbis facturus, Sed mendax fuiſſe ſignum exitus ipſe docuit. Eodē die miſſus ab Hiſpano Præfectus militum cognomento Steenbachus vt putatur, tanquam fecialis addito tubicine, quum ad portam borealē, quæ a Friſijs denominatur, propius acceſsiſſet, rogauit noſtros, qui muros circunſtabant, facerēt ne poteſtatem ſibi tuto pauliſper conſiſtendi. Vbi noſtri de vallo annuiſſent: expetiuit Præfectū Cabellaum, vel ex Conſulibus aliquem ad colloquium. Sed interim dum ad Prefectum id refertur, a gregario quodā milite agnitus iuſſus eſt eueſtigio diſcedere. Illum pauliſper regreſſum excubitores e muro ſcloporū globulis petierunt, inclamantes proditorem eſſe quod eius machinatione traditum Harlemum hoſti dicatur. Verū ille diſtricto gladio noſtris interminatus ſtatim ſe ſubduxit. Paulo poſt quidam ex militibus ipſius Steenbachi, conqueſtus immanem Hiſpanorum crudelitatem, tanquē e cuſtodia ad noſtros tranſfugit. Interrogatus ille a noſtris, quantum in exercitu hoſtili militum eſſet, reſpondit: Hoſtium qui vrbē obſidebant, ſupra triginta milia eſſe. Quod quum veriſimile non eſſet, eius verbis fides non adfuit. Ea propter & cuſtodes ei appoſiti ſunt, tanquam proditionis reo, qui vanum ciuibus terrorem incutere voluiſſet.

Aug. 28. Ad vigeſimum octauū Auguſti, quum biduo iſto nihil memorabile accidiſſet, ipſo noctis ſilētio ſublato clamore ingenti Hiſpanus ad oppidum oppugnandum accedere videbatur, eo, vt creditur, cōſilio, vt documentum propius caperet an animi aliquid ad tuendam vrbem ciues haberent. Scloporum fragore totum oppidum perſonabat, audiebatur in caſtris hoſtium

claſsicum

claſsicum militare. verum vbi milites ciueſque ad defendēdam vrbem alacriter accuriſſent, atque intrepide conſtitiſſent in muris, paulatim hoſtis receſsit. Hoc ipſo die ad horam ſextam antemeridianam, cum magno totius Eccleſiæ luctu in fata conceſsit grauiſsimus integerrimusque vir Ioannes Arnoldus apud Alcmarianos verbi Miniſter, cuius meus ac frater in Domino cariſsimus, qui in Hollandia primus Eccleſiam Chriſto collegit & inſtituit, homo literaturæ quidem politioris planè expers, ac nullis, quas vocāt, liberalibus diſciplinis tinctus, ſed tamē grauitate vultus, ſententiarum verborumque pondere perpetuo laudis pręconio celebrandus. Sub ipſum vitæ exitum, cum prælij ſignum audiretur, paſsis manibus cū familia Deum orauit, ne Alcmariam patriam ſuam hoſti diripiēdam excindendāque traderet, quin potius fidelibus ac piis tugurium quoddam illic conſeruaret. Inſequenti nocte ante portam Friſiorum, qnam vocant, Hiſpani munitiones fecerunt vallo erecto, vnde propius muros vrbis tormētis quaterēt, nec potuerunt noſtri bombardarū digrādinatione crebra ab inſtituto opere eos arcere. Ad horam tamē duodecimam pomeridianam eruptione ſu- Aug.
bitò facta Hiſpanos e munitione exturbarunt. Verum 29.
illi recollectis viribus ac maiore peditum manu cōfeſtim recuperarūt vallum, noſtris in fugam compulſis. Repertum in præda aliquid pulueris tormentarij cum galeis ac gladiis aliquot Hiſpanorum, id noſtri e fuga retulerunt domum.

Ipſis Calendis Septembris tabellariorum noſtro- Cal.
rum vnus, quum reliqui omnes emāſiſſent, tandem in Sepe.
vrbē rediit, cum magna ciuium gratulatione & applauſu. Litteræ enim, quas a Northollādiæ Præfecto Theodoro Sonoy viro ampliſsimo humaniſsimoque & ordinibus ipſis ad Senatum Alcmarianum adferebat, plenæ erant rerum lætiſsimarum. Siquidem ille præfatus initio, quam dolenter ferat arctiſsimā vrbis noſtræ ob-

ſidionem ſubdebat mox, ſe vt primum de ea re audie-
rit, omnē omnīnò diligentiam adhibuiſſe, vt aliquod in
ſuper peditum vexillū noſtris ſubſidio adderet, ſed co-
natum eum omnem fruſtra fuiſſe, quod Pręſidiarij mu-
nitiones ad oſtium Schermerij lacus iam ante deſerue-
rant, nihil tamen eorum, quæ ad auxilium ac liberatio-
nem oppidi pertineant, quoad eius fieri poterit, ſe præ-
termiſſurum, cum capitis etiam ac vitæ ſuæ iactura, qui
& Principem Auraicum de ſubſidio per litteras iam ap-
pellarit, nihil addubitans, quin noſtri interim, dum
auxiliares iſtas copias patienter expectant, excelſo ani-
mo atque infracto hoſtium impetum ſint excepturi.
Adhæc quod Magiſtratus noſter poſtularit, vt agge-
rem, quo mare ad Medenblicā coërcetur, interſcindat
ſoluatque: ſe re cum ordinibus Northollādiæ commu-
nicata, obices ac pontes lacunm ſtagnorumque iam re-
cluſiſſe, ſed & aggerem illum, ſi neceſsitas modò exigat
à ſe diſſolutum iri. Cæterum quod noſtri ſcripſerint
tormenta maiora viginti quatuor ab hoſte ab vrbem
admota eſſe, id ab exploratoribus ſuis non renunciari,
ſe tamen non ignorare ærumnas ac difficultates vrbis
grauiter obſeſſæ, quibus quod dicto citius ſuccurrere
non poſsit: ex animo ſibi dolere, ſe tamen quacunque
via ac ratione effecturum, vt quamprimum fieri pote-
rit, ſuppetiæ nobis aliquæ ferantur. Hæc ille. Ordines
verò in eandem fere ſententiam quibuſdam præmiſsis
de puluere tormentario, quem indies expectent, am-
plè promittebant, miſſuros ſe, ſimulatque accepe-
rint, nec minus interim operam datutos, vt terra pa-
riter & Schermerio lacu auxilia obſeſsis ſummittan-
tur. Proinde orare, vt oppidani animos ſumant, agant-
que viriliter, eo magis, quod Comitis Ludouici
Naſſouij ad Philippum Vanderanum proximæ literæ
iubeant Hollandos bono animo eſſe, nec frangi deſpe-
ratione ſucceſſus, quod Harlemum ab hoſte captum ſit,
quin potius æquitate cauſæ ſuæ freti maſculo pectore

 conſtan-

constanterque pergant in vindicanda patriæ libertate, certa spe atque fiducia breui se ab vniuersa semel tyrannide exemptum iri. Adfinxerant rumoribus amiculi aliquot, dum per id temporis literas quasdam ad obsessos dant, Christophorum Palatini filium nostris subsidio adduxisse in Gelriæ oram equitum duo millia, peditum verò millia quinque, Ludouicum Nassouium cũ reliquo exercitu subsequi. Exspectari quoque indies sclopetarios multos, quos Auraicus e Zuytholandia nobis in auxilium misit. Alcmarianus igitur, (quos Hispanus veluti in caueam vndiquaqne incluserat, non saginandos ad cultrum, sed potius macerandos) duodecimo demum ab obsidione die animus reuixit, reuerso nuncio, ac præter spem tam fausta renunciãte, qui & ipse ab excubitoribus, qui itinera arctissimè obsidebãt, vndique circumseptus cursu ad mœnia euasit, credo mirifica Dei optimi maximi prouidentia ac benignitate.

Non destitit autem Hispanus vrgere, quod cœperat. Siquidem tertio Septembris penè in ipso vestibulo Sept. portæ Frisiorum, aggerem effodit, eo vt nonnullis vi- 3. sum est cõsilio, vt cuniculos oblique actis, subiectaque pulueris bombardici vi propugnaculum nostrum disiiceret: aliorum verò coniectura ferebat. inde tormentis mœnia concussum iri. Medio autem die cum stratoribus nostri excursiones fecerant, vallum istud hostium, solo æquaturi, sed prementibus Hispanis in vrbem reiecti sunt, re infecta.

Postridie verò intra pomœria vrbis ad exitũ por- Sept. tæ aquilonaris, propugnaculum exædificare cœperunt, 4. dirutis proximis ædibus quatuor, vt si Hispani portã illam occupassent, inde hostẽ nostri, ne mox in vrbẽ cum suis irrumperet, cõmodè arcere possent. Ductum opus orbiculari figura, in modũ Lunæ semiplenæ. Cæterum quum in vrbe nouæ indies difficultates emergerent, quæ explicatus habebant longè intricatissimos

decreto Senatus nostri Consulibus attributi sunt duo tanquam subsidiarij, qui Reipub. onera cum ipsis par-
Sept. 6. ticiparent, ea noui Magistratus creatio incidit in sextum Septembris.

Sept. 8. Octauo autem eiusdem mensis die Iacobus Poullet natione Flāder virtute ac laude bellica insignis vir peremptus est. Dum enim Hispanos duos fortè procurrentes incantius e muro spectat, excubitorum quidam e castris hostium, caput ei sclopi globo traiecit. Circa hæc tempora videbantur nos ludificare Hispani, dum aliud in speciem præseferunt, aliud verò animo agitāt.

Sept. 10. Nam huius mensis decimo tormenta quædā mediæ magnitudinis Montium vicum plaustris transportabant, ac si fugam adornarent. Sed nocte insequenti, dum coniunctis nauiculis aliquot in vicem pontis ad mœnia trāsitum moliuntur, excubiæ nostræ bombardulis emissis ab incœpto desistere eos compulerunt, multis interfectis ac ponte rescisso, nimirum ita Hispani speciem fugientium præbent, vt desides interim ac somniculosos inopinatò opprimant ac iugulent.

Sept. 11. Quo circa vndecimo statim post solis exortum maior solito equitum numerus cum curribus cernebatur, quibus rursum tormenta subuehebant ad vrbem, tametsi continuis imbribus, quod Septentrionem versus itinera lutosa essent & inuia, nihil admodum promouerent.

Sept. 12. Duodecimo autē Septembris equos multos absque vectoribus Montio hostis ad oppidū reduxit, cū maiore equitatus peditatusque copia. Sub vesperam verò curribus circiter viginti, magnum asserum vimineārumque cratiū vim admouerūt ad turrim cognomento rubeā, quæ in orientē respicit. At nocte quæ proximè secuta est, munitiunculas quasdam arbustis cōtextas erexerunt ante portam, quam Frisiorum appellant, ea mente quod euentus postea declarauit, vt tormentis ibi dispositis valli loco essent. Nam quod nonnulli suspica-

ſuſpicabantur, fore vt ad eum modum oppidanos vndique concluſos rerum egeſtate & inedia frangerent atque expugnarēt: Vana profectò coniectura erat, non ſolum quod nauigationem hoſtis in ſua poteſtate non haberet: Verum etiam quod a tergo reſpiciendum ei fuerit, ne a ſubſidiariis noſtrorum copiis ex improuiſo obrueretur.

Perſtabat igitur Hiſpanus in accelerāda oppugnatione, ſiquidem decimo quarto Septembris ante D. Petri Turriculam, quæ inter portam Septentrionalem, ac nouū Monachorum propugnaculum media interiacet, aggerem duxit, vnde ſtratores noſtros, qui ruinoſum murum paulatim ſubducerent, tormentorum crebris ictibus ſubmoueat. Collapſa eò loci erat muri aliqua pars, cuius loco vallum noſtri moliebantur, expoſiti telis hoſtiū, ac quum ex Baiulis nonnulli a ſclopetariis Hiſpanorū percuſsi repente concidiſſent, alij verò grauiter eſſent vulnerati: reliquis eo die metus iniectus eſt, quo minus in inſtituto operæ pergerent. Nocte autem proxima præſidiariorum manipuli tres Hiſpanum aggere illo, quem ad D. Petri Turrim extruxerat, tumultuariè exegerunt. Verum vbi colliculum ligonum defectu complanare nequeunt, incurrentibus Hiſpanis iterum cedunt.

Sept. 14.

Cæterum, cum in vrbem non ſubmitterentur a fœderatis qui de ſubſidio nobis renunciarēt, neque ex vrbe per cuſtodias hoſtiū frequentiores, iter noſtris exploratoribus aperiretur: de communi Magiſtratus ac Tribunorum ſententia præſidiarij aliquot ſub noctem clanculum oppido egreſsi, ex Hiſpanis, qui meridiem verſus in aggere faciendo occupati erant, comprehenſum vnum in vrbem viuū adduxerūt, & niſi prædæ cupiditas eos detinuiſſet, omnes, omninò, qui munitiunculis iſtis extruendis intenti erant, eadem opera cepiſſent. Factum eſt hoc Septembris quinto decimo. Hîc rurſus agnouimus ingens Dei beneficium. Quod enim

Sept. 15.

 per

per literas socij nobis non significabant, fecit Deus vt ex hostilibus castris planè intelligeremus, dum a captiuo Hispanorũ mentem atque consilium, propius expiscari licuit. Renunciabat ille Federicum Toletanum ab aula admonitum esse, vti oppugnationem vrbis maturaret, & nisi secundùm aut tertium oppido potiretur, copias in Brabantiam subduceret: eius esse animi imperatorem totius exercitus Federicũ, vt quatuor omninò locis vno eodemque tempore ad oppugnandum oppidum aggrederetur, quo aliquam saltem vrbis partẽ defensoribus denudatam occupet atque inuadat, tametsi iurgium aliquod ei cum Nortcarmio ac dissensionẽ in ratione capiendæ vrbis intercedere prædicabat. Iam pontes ad eam rem paratos machinasque reliquas ad manum haberi, quæ expugnationi vrbis inseruirent. Decreuisse autem illum sub portam Frisiorum ad turriculam Orientalem, quæ a rubedine cognomen accepit, tormẽtis prius muros conuellere, quam ad oppugnandum accedet. Ad meridiem verò, qua Harlemum itur, ponte modò velle mœnia coniungere, at salinas nauali certamine velle adoriri. Quin, & hoc apud se statuisse Federicum, si oppidanis subactis vrbem vi caperet, in iugulandis ciuibus atque incolis neque modum aut rationem vllam ætatis vel sexus se habiturum. Verum pij omnes ac fideles cum multis lacrymis ac suspiriis Deum præcabantur, vt tam immanem ac cruentam tyrannidem a ceruicibus nostris clementer amoueret. Præter hæc rogatus captiuus de copiis hostium, quæ in istam expeditionem adductæ sint, aiebat eas esse ad hominum, sex millia ac circiter quingentos, partim Germanorum, in quorum equitatu numerentur quadringenti, peditum verò ad summũ vexilla quatuordecim: partim Italorum, Hispanorumque; quibus equites sint trecenti, pedites autem ad vexilla sexaginta quatuor. Quamuis autem non copiosiorem Hispanis exercitum fuisse

uisse captiuus iste adfirmabat: soluta tamen vrbis ob-
dione ab iis, qui hostium castra coram ipsi inspexe-
int, longe aliter accepimus. Siquidem imperator exer-
tus istius Federicus Toletanus, cui Nortcarmius, Iu-
anus Romerus Præfectus castrorum, atque alij Gallicæ
Hispanicæ nobilitatis complures additi erant, castris
d vicum Oudorp positis penes se habebat veterano-
um suorum signa quadraginta duo, quibus ceu sup-
lementum nouorum militum ex Italia nuper acces-
erunt vexilla peditum octo. Equites Federicus ad cus-
odiam corporis adhibuerant centum quinquaginta.
ræter hæc, eò loci in equitatu numerabantur circiter
uadringenti. Qui vicum Huisvveert tuendum acce-
erat Ferdinandus Toletanus Federici cognatus, ei
exilla erant recentium Hispanorum octo, quorum
ngula ducentis fere capitibus censebantur. Ad D.
ancratij pagum Germanus quidam cognomento Pol-
vvyler militum vexillis sex præerat, quibus addita in- Sept. 26.
uper erant e Præsidio Groningano signa peditum
uinque. Pagum Coedijck, Baro a liques, cui præfec-
ura Harlemensis erat concredita, duodecim Gallo-
um vexillis insederat, ad cuius copias aggregatus
rat Baro a Cheureaulx, cum Burgundionum vexillis
octo. In Montensium verò sabuletis Dominus a Ca-
ies Gallos ad vexilla decem imperio regebat, Meri-
iem versus ad Nieportum. Italorum, Hispanorumque
quitum duæ erant turmæ, Germanorum verò sub
nanu Georgij Schenck vexillatio vna. Ibidem & Hispa-
i statiua habebant cum vexillis peditum recentioribus
eptem, quibus tanquam in subsidium adiuncta erant
ub auspiciis Georgij Fransbergēsis vexilla Germanorū
luodecim. Adhæc tria militum signa Ottonis Comitis
ebersteinij. Fuerunt igitur, vt id summatim comprehē-
lamus, ad vrbē initio admota, vexilla peditum centum
ynum & viginti, quibus ad minimum continebantur
hominum

hominum millia sexdecim. Sed ex iis postea nonnulli ad vexilla aliquod Schellincvvoudam & ad naues, vt maritimum præliũ cum nostris facerent sunt traducti. Quoniã verò locus postulat & de viribus ciuitatis nõ nihil subiicere, carptim ea delibemus. Ciues & incolæ qui per ætatem arma gestare poterant, reperti in vrbe mille ac trecenti, exceptis peregrinis, aduenis & agricolis, quos nobiscum Deus obsidione conclusit, quorum tamen non magnus erat numerus. Præsidiarij verò circiter octingenti. Nam ex peditum vexillis septem, quæ ante tuendi oppidi causa in præsidio erãt, duo primum iussu Theodori Sonoy Northollãdiæ Præfecti, ac deinceps tertium paulo ante obsidionẽ vrbis nouissimam, cum mediæ magnitudinis tormentis tribus, quæ & ipsa ad defensionem vrbis collata erant in VVaterlandiam sunt traducta, quod iis locis summè necessaria esse dicerentur.

Sept. 16. Decimo sexto Septẽbris iuxta D. Petri turriculam muri pars, quod vterum iam pridẽ fecisset, ac noui aggeris pondere illuuieque subtus labefieret: sub noctem rursus decidit. Sed oppidani ea ipsa nocte aggerata humo, mox hiatum expleuêre. Ita murus a maioribus nostris valli loco ductus, nihil aliud quã in demoliendo, substituẽdoque aggere negotiũ nobis exhibet. Eo ipso die e regione portæ Frisiorum tormẽta maiora nouem ante turrim verò rubeam septem numero ab hoste collocata cernere licuit. Sed quum campi aqua pluuia solutisque Northollandiæ Præfecti iussu & opera, põtium atque aggerum obicibus septentrionem versus, vbi argillosa est terra, ac pressius, quam ad meridiẽ sudsidet, veluti inundassent: magnã in ea re remoram passi sunt. Insequenti tamen nocte egesta altius humo propius ad portã Frisiorum ac sub ipsum penè aditum vallũ porrexerũt, fortassis vt immisso puluere bombardico propugnaculum nostrum subruerent, quod tamen ab ipso fundamento truncis radicibusque arborum ac ruderi-

bus

pus compactum ac probe instructum erat aduersus huiusmodi cuniculos.

Postridie, qui Septembris erat septimus decimus dies, cœpit Hispanus, ac si ad oppugnãdam vrbẽ omnia comparata & ad manum haberet, constratos asseribus pontes, a meridie ac septentrione ostentare, tormenta ad muros dirigere, desultores, velites atque expeditos in proximis munitionibus collocare, cæteraque omnia in conspectum dare, quæ in oppugnatione vsui esse possint. Addemus & illud, quod per noctem ceu portentum aliquod in aëre apparuit. Luna quæ ad vltimum ferè quadrantem decurrerat, cœpit sub vesperam hora nona lumen suum nobis reddere, præter communem naturæ cursum & ordinem, quoniam eo curriculo demum submediũ noctis cum sua luce alias conspici solet. Istuc in cœlo prodigium cũ multis aliis obseruarunt Petrus Meerhoultanus apud Alcmarianos scholæ Rector, ac Theodorus Kater, vir diligens & industrius, dum nocte per ambitum murorũ rogatu Præfecti Cabellaui vigilias obit atque inspicit. Cõfirmauit & hoc animos piorum quorumcunque, veluti præsagium lætioris exitus, quam rerũ vrbicarũ lugubris planè facies promittere videbatur. Stipendiariorum enim plærique non magnũ belli vsum habebant, & oppidani non tam, armis, quã negotiationi & agriculturæ exercendæ videbãtur apti esse et idonei. Nunc ad ipsam oppugnationem, cuius vt principium horroris ac trepidationis pleuum erat: ita finis populari applausu, gaudio ac triumpho celebrabatur. Sept. 17.

Septẽbris enim decimo octauo sub ipsum auroræ crepusculum, horrendum intonuit Hispanus, emissis in vrbem tormentis maioribus viginti. Siquidẽ ad Frisiorum portã ordine disposita habebat nouem, quibus sub proximo molendiuo adiuncta erant duo veluti in subsidium: ad turriculam verò orientalem quã rubeam denominari diximus, septem numero: e regione salinarum Sept. 18.

rum

rum duo tãtum, quorum altero turriculæ istius defen
sores conciderētur. Atque eo ipso die circiter bis mil
Sept. 17. ictibus istarum bombardarum, hostis mœnia percussi
In vrbe multa ædificia discerpta atque mutilata, hom
nes numero quinque aut vt plurimum sex, torment
istis enecti. Isto prodigio Deus futuræ victoriæ velut
prælusit. Quum enim Hispanus tam crebris tormento
rum ictibus anteriora portæ Frisiorum ac turris rube
deiecisset ad solum: cœpit ad semissem horæ quarta
pomeridianæ præmissis expeditis aliquot Hispanis vr
bem strenuè oppugnare, ante portam quidem Frisio-
rum aditu sibi rutis ac cæsis facto: ad turrim verò ru-
beam ponte deducto. Et verò vt magis attonitos op-
pidanos ac consternatos animo redderet: voluit vi-
deri & sub propugnaculum portæ Harlemensis, & vno
eodemque tempore ad salinas oppugnationem factu-
rus, illic quidem ponte vrbis fossis propius admoto,
hîc verò ratibus quibusdam, quas suo milite comple-
uerat. Verùm euenit, vt quæ hostis ad terrorem nos-
trorum commentus erat, ea nihil de alacritate ac fi-
ducia eorum diminuerent. Nam vbi classicum ceci-
nisset, præsidiariorum oppidanorumque vnus & idem
animus erat in hoste repellendo. Certatim alius alium
præuenire: quisque locum quem ceperat, grauiter
tueri: nemo hostium incursu cedere visus est, nisi
aut confossus aut grauiter sauciatus: oppidani quod
a Tribunis militum iniunctum fuerat, confestim obi-
re: nemo imperium Ducis recusare. Mulierum quo-
que puerorum puellarumque ardens in prælium stu-
Sept. 18. dium cernebatur. Nostris enim ad mœnia orbes pi-
ce ac seuo illitos, quos in hostem ardentes prouol-
uerent, continenter porrexêre. Aquas feruefactas
ac calce excoctas lapidesque indefessè subministra-
runt, vt ad manum esset, quo Hispanos subeuntes no-
stri depellerent. Imo adolescentulorum plærique in
hostem

hostem silices, ac picatas istas coronas intrepidè ipsi iaciebant. Ac milites quosdam dicere memini, nisi fœminæ ad eum modum ipsos iuuissent quocunque armorum genere, futurum omninò fuisse, vt Hispanis vrgentibus ipsi cessissent. Nec minus hostis, quæ expugnandæ vrbis ratio deposcebat, præstitit. Nam qui primam oppugnationis aleam sortiti erant, quum per ruta & cæsa in fastigium portæ Frisiorum euasissent, totis viribus adnitebantur nostros vallo deiicere. Contra nostri verutis, contis, sparis, gladiis & lapidibus eos submouebant. Audisses nihil quam silicum perpetuam degrandinationem, continuos tormentorum ictus, armorum strepitum fragoremque perpetuum. Nihil etiam vidisses aliud, quam flammas & ignem, dum nostri piceis istis corollis Hispanos induunt, fascibusque sarmentorum & stramentis incensis adurunt. Verum vt instāt oppidani, Hispanosque magno animo constanterque repellunt: defessis primis ab Hispanorum agmine confestim integri successerunt, qui & ipsi dum ancipitem oppugnationis fortunam cum magno suo malo experiuntur, breui cessêre, victoriæ loco, multis certè vulneribus acceptis. Nec tamen secundum sic reiecti Hispani depugnandi alacritatem prorsus abiecêre, sed euestigio, subierunt alij, quorum vt maior numerus, ita & animus ad expugnandum obfirmatior. Primo accessu vociferabantur penes se victoriam esse, signiferi eorum tres in vertice propugnaculi conspiciebantur, ibi signum vnum igne a nostris exustum, vexilliferi duo trucidati, signis protritis dissipatisque. Tertius an ad suos redierit incolumis, incertum. Tandem & nouissimi illi, dum impetum nostrorum amplius sustinere nequeunt, cum dedecore ad suos se recipiunt. Ita porta ab Hispanorum incursionibus vindicata est. Inter hæc, ad turrim rubeam cruentum & acre fit prælium, dum Hispani eo loci traiecto ponte in mœnia scandunt.

Verum

Verum hic iniquo pugnæ loco ſtabaut noſtri. Nam fronte aduerſum cum hoſte bellum faciebāt, prohibituri eum, ne muros vrbis tranſcenderet: a tergo verò lacerabantur bombardis iſtis, quas aduerſus ſalinas diſpoſitas fuiſſe diximus. Verū difficultatibus hiſce poſthabitis animoſè noſtri in pugna perſtiterunt, nec contenti ſemel hoſtem vallo deturbaſſe in eos, qui in defatigatorum ac cendentium locum recentes ſubibant, eadem alacritate atque animi robore ferebantur, puellis, mulieribuſque ſtudioſe ſuggerentibus calcem, torques piceos, & aquam feruētem, qua ſubeuntes Hiſpani a noſtris reſpergebantur. Ad eum modum bis repulſi Pontificij, tertiò tandem & vltimo, numeroſiore quam vnquam antea, pugnantium globo ad capiendū oppidū vegeti atque alacres redeunt, multitudine præliantiū, vt videbatur, noſtros oppreſſuri: Sed milites atque oppidani, in tam diutino defenſionis labore ac difficultate, quod ſuis ipſorum viribus apud ſe deerat, a fœminarum puerorumque opitulatione ac ſubſidio mutuati, pari virtute animique fortitudine hoſti obuiam iuerunt, nec dimicandi finem fecēre prius, quam hora ſeptima ſub noctem ignominioſe repulſi Hiſpani oppugnatione deſtiterunt. Iam victoria parta erat. Nam quod ad ſalinas nauibus, ad portam vero Harlemēſem velitatum modò fuit, in iuſtæ oppugnationis rationem non venit. Siquidem e ſalinis tormentorum globulis quidam tranſuerberati, reliquis documento fuēre, vt ſubductis nauibus in munitiones ſe reciperēt. Qui verò ſub propugnaculum a meridie præliantium ſpecie diſcurrebant, quoniam pontem muro ciuitatis non coniungebant, indicabant facile non velle ſe ad tam ancipitem oppugnationem deſcēdere, ac certò poſtea conſtitit, ideo cœptis deſtitiſſe, quod pons noſtrorum tormentorū ictibus diſſolutus fuerit. Nam reperta ſub eo mutilata quædam, atque a corporibus cæſorum auulſa membra, terraque multo ibidē cruore hoſtiū reſperſa.

Quod

Quod profectò in causa fuit, quo minus eo loci Hispanorum velites tam difficilem plenãque periculi oppugnationem subirent. Consultius tamen fecerit, qui ad prouidentiam Dei ista refert. In præsentissimum enim discrimen adductum iri ciuitas videdatur, propter paucitatem defensorum, si quatuor simul locis nos oppugnando adortus fuisset Hispanus. Sed noluit indulgẽtissimus Pater Alcmariam nostrã primum ni fallor, apud Hollandos Ecclesiæ Christi hospitium in truculentissimorum hostium potestatẽ venire, ne sanctum eius nomen, vbi diutissimè inuocatũ est, fœdè ab Hispanis prophanaretur. Victoriæ igitur laus omnis in vnum Deum competit. In tam ardua tamque horrenda vrbis oppugnatione, quam post horas ferè quatuor subeuntis noctis tenebræ diremerunt, desiderati ex Præsidariis nostris circiter viginti quatuor: ex ciuibus verò tredecim, multi præterea saucij domum relati sunt. Hispanorũ quingenti & amplius in ea pugna occubuisse dicuntur, quorum numero continentur Tribuni militum ac præfecti ad minimũ vndecim, nec dubium quin ex hostibus longè plures cecidissent nisi tormẽtarius noster puluis subterraneo atque humidiore loco repositus, aliquid inde vitij contraxisset. Multi enim leuiter vulnerati sensim reualuerunt. Ac ciuium plerosque inconsultus in certamine feruor sustulit, dum multò ante quam subeuntes Hispani capitibus supra vallum eminerẽt in eos e sublimi iaculãtur, nec aliud, quam hostium sclopis expositi, se ipsi occidendos præbent. Eo in prælio, magna virtus ac constantia se exerunt Theodori Amsterodamensis cognomento Diaboli, ac Conrardi Steenvvijck Tribunorum, quorum ille adiutus a suis stipendiariis ad Frisiorum, quam vocant portã, hic verò in tuenda rubea turri magnam hostium stragẽ edidit. Militię totius dux Iacobus Cabellaus, vir si quis alius miti ac tractabili ingenio, tametsi per id temporis morbo affectus esset, præsto tamen erat ad portam, præsentia atque oratione

C sua

ſua noſtrorum animos confirmaturus. Nec detrahendum quicquã laudi ac meritis Scoti cuiuſdam, qui dum apud Harlemẽſes vexilliferi munus ſuſtinet, tradita vrbe, ab Hiſpanus inter reliquos captus erat, ac furtim ſe illis ſubducens, nuper admodum Alcmariam peruenerat. Is ergo ſtrenuè fortiterq́ue dimicando cum Hiſpanis, quos in iſta oppugnatione, ſupra viginti interfeciſſe fertur, omnem omninò proditionis ſuſpicionem apud noſtros diluit.

Ex pontibus autẽ duobus, quos ad rubeam turrim hoſtis aduoluere erat conatus, noſtri per noctis tenebras alterum igne iniecto interſciderũt, alterum verò die inſequenti, qui erat Septẽbris decimus nonus, quum Sept. 19. Hiſpanus veſperi ad mœnia producere niteretur, & ad turriculam iſtam, quæ ad oppugnationem pertinebãt, rurſus adminiſtraret: fragore iſto noſtri exciti ſtatim in armis fuêre. Meticuloſus quiſpiam inſuetus militiæ, iuſsit campanę ſtrepitu claſsicum cani, quemadmodum eadem nocte poſt circa horam tertiam ad arma a noſtris iterum euocabamur, quod Hiſpanus ſub portam Borealem arculas quaſdam aduolueret, quibus ad faciliorem denuò oppugnationem, ſuis viam muniret. Ita ex torpidis alioqui ac languentibus oppidanis, dum quouis propemodum momento e ſomno ad prælium reficiendosq́ue aggeres exciuntur, Hiſpanus expeditos & ad omnem caſnm paratos milites reddit.

Sept. 20. Vigeſimo Septẽbris ante meridiem hora fere nona hoſtis bombardarum tonitrua ſua rurſum edidit, ac dum vallum, quod ab vtroq́ue portæ Friſiorum latere diffunditur, machinis iſtis æneis diruere inſtituit: proximis magis oppidanorum ædificiis, quam munitionibus iſtis damnum infert. Quicquid enim in his tormentorum vi conuulſum erat, id noſtri eueſtigio aggeſta terra ſarciuerunt. Eo ipſo die tormentornm maiorum globi in mœnia emiſsi nunerantur ſeptingenti. Proinde rurſus pomeridiano tempore expeditos ſuos vico

Outdorp

Outdorp emiſit Hiſpanus, vt periculum facerent in expugnanda turricula orientali. Verum illi dum reliquum adhuc pontem in aquis collocare aggrediuntur, ita a ſclopetariis noſtris, qui in muris ſtabant, ſunt excepti, vt e ſuis multos dicantur amiſiſſe, & in his præfectum aliquem militum. Nec potuerunt Hiſpanorum Tribuni aut Centuriones, nondum ponte vt oportuit ad mœnia extenſo pugnatores ſuos minis aut verberibus adigere, vt muros conſcenderent, tametſi ex tergiuerſatoribus illis, qui oppugnationem ſubterfugiebant. ad quindecim numero trucidaſſe ferantur. Ea igitur difficultas oppugnationi turris impedimento fuit. Nam etſi militum ſuorum animos honorariis præmiisque ingentibus propoſitis, ſi vrbem modo caperent Federicus Toletanus incitaſſe dicatur: nihil tamen ibi, quam ſtragem & vulnera ſuorum conſecutus eſt. Nec alia ex parte felicior ſucceſſus. Qui enim expugnandæ Friſiorum portæ deſtinati erant: ſubſtiterunt ad proximum molendinum, fortaſsis quo minus ad vrbem accederent, aliorum infortunio ac clade ſatis edocti. Itidem hæſerunt ad portam Harlemenſem, vbi quod in velitatione vſu venit, huc illuc quidem diſcurrerunt, eorum nemo tamen ponté ad manum admouere auſus fuit. Hiſpanus igitur ſua arrogantia dum inſtitutum pertinacisſimè vrget, totum diem ſub armis ſtipendiarios oppidanoſque exercuit, dum interim aggeres ac propugnacula a ruſticis ac fœminis probè reficiuntur. Sub occaſum Solis quum ad meridiem equitum peditumque globus, ſub proximo vallo condenſaretur: armario præpoſitus ſcitus adoleſcens grandinibus, quas vocant, maiore tormento emiſsis, medium illud agmen perrupit, ita multis ſubitò exanimatis reliqui euanuerunt. Veſperi igitur, quum Hiſpanus ſuos ab vrbe paulatim reduceret, noſtri conduplicatis ad mœnia cuſtodiis, corporibusque curatis quieti pauliſper ſe dederunt.

Quantum eo die militum in exercitu hostili deperditum sit, nec dum nobis cōpertum est. Inter oppidanos autem desiderati tres aut quatuor, & in his Egbertus Diert signifer vrbicus, excelsi animi ac magnæ virtutis adolescens, sed præceps & incircunspectior, quem Hispanorum aliquis, dum incautus in hostem bombardulam intēdit, sclopi globo percussit. Ex præsidiariis verò octo tormentis hostium perempti. Ita secundum Deus non leui documēto palam fecit, vt a fœderatis ac sociis nihil auxilij mittatur, se tamen rebus etiam desperatis nobis non defuturum. Siquidem Hispanus in explicandis suis pontibus ridicule hæsit, ac cœlum, vento sub ipsum pugnæ tempus stationem subitò mutante, suauiter nostris aspirabat. Obseruaui in aëre hora ferè tertia, impressionem, quam vocant, igneam figura triangulari, quæ a septentrione orta sensim ad meridiem progrediebatur, ac post horulam disparuit. Id nostri, quoniam in ipsam expeditionem inciderat, pro lęto omine interpretabātur, ac si a septentrione & meridie auxilium nobis expectandum fuerit. Ac paulò ante occubitum solis, incendia latè mouebantur orientem ac septentrionem versus, quod a nostris studiosè factum augurabamur ad spem obsessis excitandam. Etsi enim qui in subsidium nobis ab illustr. Principe Auraico destinati erant, intra munitiones ad pagos proximos probè se continerēt, securi omnis euētus, qui arctissima obsidione clausam ciuitatē manebat: ne nihil tamē fecisse viderētur, subinde signo aliquo felicioris successus sublato conabātur nos in spem liberationis atque fiduciam erigere, perinde ac si propugnatores & vindices nostri in propinquo atque ad manum essent.

Confirmarunt autem nos literæ aliquot ab amicis per rusticos duos hoc ipso die sub noctem nobis redditæ: iis significabatur Christophorum Palatinij filium secundis aliquot præliis ad Nouiomagū cum Pōtificiis conflixisse,

conflixisse, ac profligatis illis copias admouisse ad Tielam Geldriæ oppidulum. Ludouicum Nassouium cum magna peditum equitumque manu e Cliuia aduentare. Saxoniæ Duci Augusto ac Federico Palatino ingentem conscribi exercitum. Adhæc e Suythollandia nostris ab Auraico auxilio missa peditum Gallorum vexilla octo, quorum plærique statiua habeat in Langedijck celebri Northollandiæ pago. vnde ad vrbem obsessam breuis facilisque est traiectus. Munitiones quidem nostris ad Schellincvvoudam a Pontificiis esse ademptas. Verum contrà Præsidiis Auraicorum firmata esse Monickedamum & Purmerendam VVaterlãdiæ oppida. Postremo tertium quẽque in Northollandiæ oppidis ad prælium nauale exciri, vt naues, quibus Amsterodamenses mare suæ potestatis facere conarentur, illis eriperẽt. Hęc erat earum literarum, veluti quædam summa, quibus vulgò ciues tanquam præsenti aliqua subsidiorum spe atque expectatione rursus lactabantur sed cordatiores facilè olfaciebant, e Northollãdia nihil auxilij nobis summissum iri, quoniam eorum manus exigua admodũ erat, si cum ingentibus Hispanorum copiis conferatur. Vbi ista renunciassent agrestes, campanæ pulsu signum prælij rursum datum est. Sed compertum statim vanos fuisse hostium clamores, vt & antea de nocte semper, ac die insequenti, qui D. Mathæo sacer est, rursus Hispani boatum suum nocte non semel ediderunt, a nostrisque ter ad arma concursum. Hispanus verò positis mox sclopis vociferari desiit. Sept. 21.

Habuit hostis & in obsidione Harlemensi pro more, vt terriculamentis eiusmodi, quæ superuacua fuisse euentus posteà declarauit, torporem segnitiemque obsessis inderet, atque ita per occasionẽ, dum credunt hostem ludos facere, ac mẽtiri oppugnationem somniculosos ad cunctantes opprimat. Obseruandæ sunt igitur circunsessis technæ Hispanorũ, quas sola diligentia vigilantiaque facilè eluseris.

Exinde hostis obsidionis dimittendæ non obscu-

 ram

ram cœpit significationem dare. Septembris enim vigesimo secundo, munitiunculas, quas ad meridiem sub propugnaculo habuit, vacuas reliquit, nostri verò vbi illuxit, emissis manipulis aliquot, prædæ nonnihil inde abstulerunt. Sed & pontem, in quo extruendo collocandoque tantum operæ ac laboris Hispanus posuerat, frustratim conciderunt, alendo igni materiam aptissimã. Denique muniones, quæ vrbi propius adhærebant, diruerunt ad solum. Volupe erat videre nostros obambulantes in iis locis, quæ pridem hostis, ceu bello captã possederat. Adhęc liberior paulatim e muro prospectus aperiebatur, quod papiliones & tentoria multa ad meridiem hostis e medio sustulerat. Visus & sub vesperam curribus aliquot, vascula quædam pulueris, vti coniiciebatur, bombardici a rubea turri, vicum Oudorp reducere.

Etsi autem nostri in ea liberationis spe suauiter acquiescerent, nec amplius solliciti essent de hostium consilio propius exquirendo: Dei tamen paterna & ineffabili bonitate effectum est, vt ij, quos hostis in nostram perniciem destinauit, machinationes eius & insidias nobis patefacerent. Nam Gallus quispiam quem inter alios Hispani captiuum Harlemo abduxerant, de nocte in vrbem receptus, quum a nostris interrogaretur, qur ab Hispanis ad nos transiret, ingenue cõfitebatur, se ab hoste amandatum, vt militum oppidanorumque conditionẽ propius exploraret, ac si qua posset Pontificiorum in vrbe auxilio atque opera hosti vrbem traderet. Cuius si qua efficiendi ratio commode se offerat: de vallo vel voce vel signis indicet, alioqui stato die reuersus ad ipsos referat, quis totius, vrbis status sit. Quod verò mandatum eiusmodi adimplẽdum susceperit, cuius præstationem cum teterrimo scelere sciebat esse coniunctã: se vitæ quidem redimendæ causa fecisse, imprimis autẽ spectasse vrbis ac ciuium incolumitatẽ, tametsi ingentia sibi dona proposita aiebat

bat, se in prodendo oppido hosti operam suam accommodasse, sed eorum nullā se rationem habere, vel ex eo colligi, quod hostium consilia apertè ipsis enuuciarit. Quare audita initoque consilio penitius discussa, Septébris vigesimo tertio, sub iurisiurandi religione placuit Consulibus ciuitatis, Tribunis militum, atque iis, qui in collegio sagittariorum, quos vocant, principatum obtinent, ne quid de eo sermonibus in vulgum spargeretur, quin potius persuadendum multitudini, renunciari a Gallo, quod hostis intra dies quatuordecim obsidioné soluet, quoniam auxiliares Germanorum copiæ in propinquo sint. Ille verò custodię publicę cómendatus est. Inter alia autem narrabat, valde id vrere Hispanū, quod toto obsidionis tempore neque perfugis ex vrbe, neque literis Pontificiorū edoceretur, quid ad tuendū oppidū in præsidio rebusque ad sustinendā vitā necessariis spei atque animi haberemus. Quod certe arguméto est, oppidanos a stipēdiariis quibusdā proditionis crimine falso arcesi, ac ciuium nonnulli noctu ex vrbe ad hostium castra profugeriut, vel epistolis ad sagittas alligatis inuadendi oppidi consiliū ac rationé eis significarint. Per id quoque temporis quidā e gente Germanorum, qui se administrū prædicabat Georgij Fronsbergensis de nocte aliquem rursus nostrorum ad colloquium deposcebat, ac quem accitus euestigio Gulielmus Sonnebergus, qui ob tenuem Præfecti valetudinem partibus eius pro tempore fungebatur, ad meridiē in propugnaculo constitisset: dixit orator ille rationem ciuibus ineundam, quemadmodum capitis ac facultatum libertatem pacto complexi, se Regi Hispaniarum maturè subiicerent, de fide autem pacti conuenti, quod cum ipsis iniretur, dubitari non oportere. Verum ad hæc disertè Sonnebergus, nunquam se aut oppidanos eius animi fuisse, vt iustum Regis Imperium recusarent, quin potius sub Principis Auraici Rectoris Hollandiæ tutela ac defensione vitam se, fortunas omnes, ac denique vrbem

Sept 23.

 vniuersam

vniuersam Regi libēter submittere. Auersari verò toto pectore tyrannidem atque iniustum Albani dominatū, cui modis omnibus obuiam ire decreuerint. Eo responso accepto Germanus iste mox discessit.

Sept. 24. Vigesimo quarto huius mensis rustici isti, de quibus supra commemorauimus, quum remissi ad Præfectum Northollandiæ totum diem in arundineto delituissent, secundo redierunt in vrbē, quod per custodias hostium transitus non daretur. Atque hoc ipsum mirifica Dei opt. max. prouidētia fieri existimabā, quando quidem non hostis modò de ciuitatis ipsius conditione ac statu non fiebat certior, dum vigilātia eius excubiisque arctissimis emissarij nostri semper in vrbem reiiciebantur: verum & ciues ipsi, dum aliundè nō summitterentur, qui de auxilio sociorum nobis significarent, veluti manu ducebantur ad Deum, precibus interpellandum, in quo vno incolumitatis ac liberationis spem atque fiduciam nobis repositam esse oportuit. Quocirca de voluntate Consulū Tribunorumque tabelliones in vrbe retēti sunt, ne quid de nobis Hispanus resciret. Vidimus autem sub vesperum ex tormētis quæ e regione turriculæ orientalis collocata erant, duo ad proximam ripam fuisse obuersa. Sed & loco mota esse illa, quibus ad salinas hostis vsus fuerat. Denique tētoria a meridie indies rariora conspiciebātur, vt inde colligere procliue fuerit obsidione dimissa breui vrbem liberatum iri, aut aliud Hispanum ex insidiis & clanculum agere. Cæterum vbi Gallus, quem pridie hostis e vinculis exploratum ad nos miserat, indicasset nostris, aliquem noctu Hispanorum globum a meridie coactū iri cui vel voce vel signis vti conuenerat, quid innueret: placuit Consulibus, militumque Præfectis, si qua Hispanorum manus eò conuenisset, vt bombardis explosis dissiparetur. Ita is, cui id in mandatis erat datum tormentarios globos eiaculatus est, simulatque inibi Hispanorum copiæ aliquæ conspiciebantur. Id quidā paulo incircūspectius

factum

factum esse existimabant, non solum quod de eius fide, qui hoc faciendũ suaserat, meritò dubites, quoniam ab hoste propositis magnis præmiis ad facinus istud sollicitatus sit, verum etiam quod fieri facile potuerit vt res omnis cõpositò sic gereretur. Quid enim, si ante hosti promisisset Gallus eiusmodi significatione prodere ei consilium Põtificiorum in vrbe, aut totius ciuitatis statum? Sed dedit Deus, vt augurium istorum vanũ fuerit. Eadem nocte hallucinatum nonnihil in signo excubitoribus dãdo, quod aliud ab Præfecto Cabellauo, aliud a Sonnebergo collatum esset. Verum absque motu populari ac tumultu nox transacta est.

Vigesimo quinto Septembris in crucẽ sublatus est Hispanus, quẽ nostri eiusdẽ mẽsis decimo quinto e munitione hostium captiuũ adduxerãt, ac cadauer postea de vallo suspẽsum est sub oculis Hispanorũ, eo potissimũ cõsilio, vt qui pro Gallo, quẽ supra ab hoste explorandi oppidi causa subornatum diximus, fidem suã interposuerant, fore vt tandem stato die, ad Hispanos reuerteretur, supplicio eximerẽtur. Concaptiui enim eius capitis sui periculo receperant ante proximam diẽ Dominicam rediturum esse. Proinde Galli habitu cultuque corporis pensilis factus est Hispanus, vt conficta mẽdaciique specie id saltẽ apud suos efficeret, ne sponsores ac vades Galli iniustè plecterentur. Nam hoc fuco persuaderi posse Hispanis, multi credebant, Gallum istum patefacta machinatione capitis damnatum a nostris, ac proinde excusationem fideiussoribus eius constaturam. Nimirum id præmij pro indicio tulit miser Hispanus, postquam ex verò futura in exercitu hostili prænunciauit. Nam etsi alioqui nostrorum lenitas ac clemẽtia indubie eum seruasset: ipsius tamen nece ancipitem prorsusque incertam salutis aliorum spem captandam censuerunt. Moriendum ergo ei fuit vt nostris bello captis ad viuendum spes suppeteret. Verum vt id obiter interseramus, Magistratus vrbanus, quum ob victoriã nuper Sept. 25.

partam milites vestiẽdos suscepisset:re penitius in specta, eò consilio destitit, cum quod in omnium capita pānus non suppeteret, tum etiam quod non eadẽ cuiusque lanæ bonitas esset. Mutata igitur ea sententia, decreuit Senatus, cudẽdos e stanno publica forma nummos, qui triginta assibus fungantur, addita lege, vt obsidione soluta Senatus plumbeum istud numisma proba pecunia

Sept. 28. commutet, ne milites & oppidani damnum ferrent. Decretum illud factum Septembris vigesimo octauo.

Postridie eius diei Senatus publico signo percussis

Sept. 29. istis nūmis singulis militibus senos attribuit, duplicariis duodenos, ac deinceps Præfectis, pro rata, quam vocant. Ea summa excurrebat ad florenorum millia decẽ, quibus egrè adhuc militum querelę sedabantur. Sed redeamus ad Hispanos, qui dum capiẽdi oppidi spe semel deiecti sunt, istis diebus occupabātur in colligendis im-

Sept. 25. pedimentis exercitus, ac transportādis. Vigesimo enim quinto Septembris sub auroram cernere licuit ex tormentis maioribus, quæ ante portam Frisiorum posita fuerant numero nouem, tria duntaxat: ex septenis, quæ ad turrim rubeam, tria item modò relicta fuisse, quæ & ipsa aliò obuersa erant. Postridie ad portam tormentorum nihil repertum. Adhuc tamẽ in oculis erant bina illa sub molẽdino, & quæ ante turrim rubeam numero tria erant residua. Ac triduum quod sequitur, cōsumpserũt Hispani bombardis aliisque rebus auehẽdis, dũ nauibus impositas Egmondā eas transferunt. Cæterum quum duris admodum impedimẽtorum subuectionibus laborarent: per multos dies viam illam, quæ a vicino vico Outdorp in vrbem ducit, truncis, fœno, stramentis ac ruderibus consternebant reficiebātque, quoniam aqua pluuia ac proximi lacus restagnatione interrupta erat. Impedimenta enim plaustris carpentisque hac traducere cogebantur.

[S]ept. [3]0. Vltimo Septembris, vbi per noctẽ frustra aliquandiu tentassent a turricula orientali machinas suas æneas

transferre,

ransferre, quæ palustri & vuido loco pondere suo altius depressæ insederant: mutato consilio limen portus nostri, quẽ naue interiecta nuper clauserant, rursus aparuerunt, naue ea in terram educta, fortaſsis ratibus torméta transportaturi. Ac tota ea nocte, quæ iuxta turrim orientalem impedimenta habebant, in vlteriorem ripam lembis quibusdã exposuêre. Animaduersum prętcrea nauiculas omnes, quæ impedimentis onustæ ducebantur, cursum Egmondã dirigere. Vidi ipse sub vesperã dum meo more ad mœnia inambulo magni nominis virum vt coniicere licebat purpurea amictũ chlamyde, cuius in comitatu equites erant quindecim, præter vrbem equo vehi, Egmondãque tẽdere, quod nostram de hostium abitu spem & expectationem confirmabat.

Calendis Octobris nocte tota iuxta turriculam rubeam strepitus in castris hostium auditus est, quasi tormenta reducentium cum magna difficultate ac tædio. Illucescente autem die in aggere, qui ab vrbe in orientem vergit, & ad Schermeriũ vsque lacum excurrit, vidimus ipsi, quantum coniectura aſsequi licuit, posita tormenta quatuor, quæ sub ipsum prandij tempus nauibus imposita Nieportum transtulêre, comitantibus in ripa armatis aliquot cohortibus, fortaſsis ne nostri cum sua triremi, quæ vicinum lacum veluti præsidio obtinebat prædam illis extorquerent, nec multo post nauigia ea expositis vt credebatur ad vicum tormentis vacua redierunt. Eodem die ante meridiem bombardarum crepitus a septentrione audiebatur, nec superuacuum erat credere nostros cum hoste velitatione aliqua conflixiſse ad Crabbedamum vel aditum vici Schoreliorum. Ad vesperam verò vidimus equites quosdam cum peditibus ferè cẽtum pago Coedijck ad vrbem reuerti, vt vel inde colligere fuerit promptum, aliquo prædatum excurriſse. Oct. 1.

Postridie verò, qui abhinc anno Mechliniensium defectione memorabilis est dies, ex tormentis, quæ ante Oct. 2.

rubeam

rubeam turrim posita fuêre, duo duntaxat reliqua conspiciebantur. Videbatur autem istis diebus e sublimi Deus Hispanos deridere, dum continuis imbribus, ventoque impetuosiore, nauigationem eis præcludit, interuertitque vias, ne pro suo lubito impedimenta reportarent. Nam & ad domum, quæ salinarum e regione sita est, æneum illud magnum tormĕtum relictum videbamus, fortassis quod isto cœlo nauibus illud transferre non sint ausi. Curribus verò impedimenta deuehebant ea via, quam aduersus inundationem vicini lacus fœno ac stramentis operose munierant, ægrè autem procedebant carpenta, quod limosis cœnosisque viis implicita hærerent.

Oct. 3. Tertio Octobris occupabantur etiamnum in auehendis impedimentis exercitus, quod nocte præcedente per procellas ac turbidam tempestatĕ naues regere non potuerint. Rursus igitur sub horam prandij nauigiis duobus videbantur tormentorum aliquid trăsportare subsequentibus fere centum peditibus. Ac vico Huysvveert emissi milites aliquot, sternĕdis muniendisque itineribus operam dare videbantur. Et ne nihil egisse eo die dicerentur, tormentorū alterum, quod sub molendino habebant, vndecies in vrbem explosere.

Cæterum die proximè insequĕti vacuefactas mane, quæ pro turricula orientali erat, munitiones deprehendimus, translatis inde reliquis tormentis. Atque hoc tempore quanta maximè potuerūt celeritate manubias & spolia agricolis adempta, cum impedimentis Egmondam deuehebant. Præter hæc & pontem, quo tormenta sua ad portam Frisiorum traduxerant, ea nocte sublatum constitit, denique æneum illud ac grauissimū tormentū quod ab ipso principio ad salinas erat directum nauigio Nieportum a prandio transportarunt, sclopetariis aliquot ad custodiam adhibitis. Iam nulli dubium erat, quin castris motis exercitum breui deducerent. Siquidem tormĕtorum maiorum nihil erat reliquum,

præter

præter duo quæ pro Frisiorum porta sub molendino erant posita. Hoc ipso die Petrus cognomento Buser, Consulum administer in obeundis ciuium exterorũque in ius vocationibus, quum e vallo in hostium castra forte prospicit. Hispanorum aliquis caput ei missili globo traiecit, ac subitò collapsum exanimauit. Verũ vt istum ciuitatis publicum luctum lętioris euentus commemoratione interpolemus: in castris hostium, nocte ea, quæ proxime antegressa erat, quum a nostris bõbardæ globulo Hispanorum, aliquis percussus esset, moribundus cum gemitu exclamauit. Mater Dei memẽto mei, credo quoniam Christus ab omni periculo ac vulnere tutum non præstiterat, eò ad matrẽ eius pro emplastro voluisse confugere. Ac cum Hispanorum genus mulierculatum amoribus sit impurum, puellasque in re venerea ad nutum obsequentes sibi habeat: opinantur fortassis & virginem matrem muliebri cõmiseratione ad se iuuandos vltro propendere. Tanta tamque horrenda est Iberici ingenij cæcitas.

Quinto Octobris cœlo albescente, pago illo, qui olim D. Pancratio operatus erat, plaustra ægrotis, sauciis impedimentisque onusta videbantur reducere, subsequentibus peditum manipulis aliquot. Nostri verò, quod indies hostiũ copiæ rarescerent, parabant aperto portu nauigiis aliquot domũ inuadere, quam hostis suis custodiis insederat. Verũ vbi naues in hũc vsum instrui, limẽque portus recludi Hispanus animaduertisset: cohortes aliquot suorũ ratibus in vlteriorẽ ripã expositas istis excubiis pręsidio addidit, qua re cognita nostri statim cõsilio suo destiterunt. A prãdio autẽ e propugnaculo, quod Frãciscanorũ tẽplo adhæret, pręsidiarij nostri excursione facta nauem spoliis hostiũ refertã ceperant, quorum summa putabatur ad caroleos ducentos. Oct.5.

Postridie e munitionibus quas nostri habebant ad vicum Crabbedamum, duo noctu liberius exspatiati Montium vsque exploratum accesserant, ac cum nullas Oct.6

in ini-

in itinere hostium excubias offendissent Alcmariam peruenêre, renunciantes iis locis neminem hostium vigilia secunda aut tertia se deprehendisse. Verum dubia adhuc luce crepusculi vidimus de muro ad ostiũ Schermerij lacus excubantes hostes, numero centum fere ac quinquaginta. Adhęc e papilionibus ad vicum Outdorp complures postea emerserunt, quibus deinde equitum turma quædam accesśit, quæ vrbẽ prætervecta cum manipulis aliquot peditum Montium tendebat. Ea propter nuncios istos duos, quod de eorum fraude non leuis suspicio incidisset, de consilio Tribunorum ac Magistratus Alcmariani in custodia publica habendos placuit. Præsidiarij verò nostri portu schaphis aliquot emissi desertas ab Hispano muntiones pro turricula orientali lustrarunt, ac prædæ nonnihil corrasêre. Identidem excursionibus ad portam Frisiorum factis, hastas, galeas, ac sclopos nonnullos collegerunt. Cæterum pontem illum, quem hostis iuxta turriculam rubeam coactus erat relinquère, hoc ipso die subductum in vrbem ceu monumentum posteris asseruari visum est. Quemadmodum autem heri ac nudiustertius flammas in pagum Coedijck Hispani a septentrione intulerant: ita in excitandis ibidem incendiis & apud Schorelios progressum faciebant non paruũ, non alio forte consilio, quam ne post se quid reliqui nostris facerent, imperandique rusticis tributi oportunitatem ac copiam semel adimerent. Oppidanis quidem stipendiariisque animus erat Hispanos incendiis istis prohibere, sed periculum erat in tanta propugnatorum raritate ne si nostri eruptione ex oppido facta cæsi essent, per occasionem vrbe capta hostis nos opprimeret, quæ certè res & conaribus nostrorum obstitit, quo minus tormentorum aliquid Hispanis eriperent. Cęterum subsidiarij nostri excubantes ad pagos vicinos, quænam ad hanc rem impedimenta habuerint, non satis nobis constat.

Oct. 7 Septimo Octobris non eadem nauium vehiculorumque

rumque frequentia erat, vt antè, non eadem etiam ho-
minum commeantium remeantiumque turba in castris
hostium. Sub noctem quoque custodiæ ante oppidum
rariores dispositæ. Qui de nauibus nostrorū multa iam
die per excubias hostium in vrbem venerat: narrabat
nostros cum Amsterodamēsium classe nauali pugna de-
certasse, illos naue amissa ad vrbem plærasque naues
subduxisse VVaterlādos omnes Alcmarianorum exem-
plo maiore fiducia ac spe in hostem ire, paratosque esse
extrema potius pati, quam in hostium venire potesta-
tem. In exercitu hostili iactari a veteranis nunquam a
se visam ante hac oppugnationem oppidi tam horren-
dam & arduam, atque hæc nostra fuerit, cecidisse in
ea mille quadringentos, atque in his magna virtute
ac laude bellica Præfectos duos, quorum alter Beuer-
vvicæ, alter verò Amsterodami honorifico funere ela-
tus sit.

Eiusdem mensis octauo die sub auroram Hispa- Oct. 8
nos ad vnum omnes vico Outdorp, Montium abire
videbamus, postquam tormenta illa duo, quæ sub mo-
lendino residua fuisse diximus, iam ante noctu abdux-
issent. Qui postremum agmen claudebant pedites,
e munitionibus, quas ad molendinum habuerunt, tan-
dem progresi, velitationes aliquandiu cum nostris
præsidariis fecere. Sed vrgentibus nostris tutum ad
suos habuerunt receptum. Ita hostis, cum aliquan-
tisper ad vicum Huysvveert restitisset, tandem om-
nem omnino exercitum, qui a septentrione statiua
habebat Montium deduxit. Inter hæc explora-
tores aliquot oppido egresi, cum vicum Outdorp
vacue factum ab Hispano reperissent, accedente pos-
tea maiore militum manu, qui de triremi aliisque
nostrorum nauibus pacatis iam itineribus eò con-
fluebant, iniussu Magistratus vrbici in pagum il-
lum antiquitatis nomine clarissimum flammas immi-
serunt, ac paulo post eodem excidij genere vicum
Huysvveert

Huysvveert prorsus absumpsere. Hunc exitum atque finem habuit obsidio Alcmariana, postquã durasset hebdomades septẽ. Hispanis certè præterquã quod magno admodum constitit, probrosa, dedecoris atque ignominiæ plena. Quid enim magis deforme ac pudendum, quam vniuersam Hispanorum potentiam, vires & opes omnes hæsisse ad tam infrequens populo oppidũ. Quæ obsecro res maiorem ipsis pudorem ruboremq́ue incutiet, quam quod tam horrẽdæ, tam arduæ, tam diuturnæ vrbis oppugnationi pueri etiam & puellæ confidenter & intrepidè restiterint? nimirum ita Deus fastum ac tumorẽ insolentissimæ arrogantissimæq́ue gentis deiicit ac retũdit. dum populo militiæ insueto atque alioquin imbelli deridendos propinat, obiicit conculcandos proterendosq́ue virguncul is mulieribusq́ue explodẽdos exsibilandosq́ue præbet. E diuerso Alcmariã vt oppidum sit in oculis quorundam vile atque abiectum, præter omnium spem atque expectationem lætissima victoria triumphoq́ue celeberrimo ad miraculũ vsque exornauit, erexit e stercore ac cœno, atque inter principes Hollandię ciuitates recensendam locauit. Debemus illi, illi inquã debemus vni Deo nostro, quod Rempub. habemus pariter & Ecclesiam Christi ab impotenti Hispanorum intolerandaque dominatione ac prophanis ceremoniis vindicatam atque liberã. Ille idem pro paterna sua clementia & benignitate precibus nostris dabit. vt Alcmaria, quemadmodum multis retrò annis puram Euangelij doctrinã inter pauculos ac verè pios clanculum & tectè cum magna constantia ac perseueratione retinuit, ita Ecclesiæ Christi sedes domiciliumq́ue sartum tectum perpetuo maneat, ad laudem & gloriam sacrosancti nominis eius.

Amen.

FINIS.

Elenchus totius exercitus qui Alcmariam obsidione cinxit, anno 1573.

D. Fridericus Toletanus exercitus Imperator.
Dominus de Noircarmes. Noircarmius.
Iulianus Romerus Legatus.
Gonsaluus de Brackamonte Chiliarcha, siue, Cornellus. Bracmontius.
Petrus de Velasco. Velascus.
Petrus Toletanus.
Dominus de Goignij.
Stephanus Dynara, Præfectus Palatio D. Friderici.
Dominus de la Mote, tribunus armamentarij.

Præter hos ex nobilitate Hispanica, & primoribus complures qui in pago Vetere, cui nomen Outdorp, ad quadringẽtos equos habuere, in eo pago Veteranus Hispanorũ exercitus castris habuit locũ, duo & quadraginta signa complens. Adhæc octo signa nouarum cohortium quæ in subsidium & complemẽtum exercitus nuper admodum ex Italia aduenerant, ex naualibus copiis quæ Duce Ioanne Austriaco Turcas profligarant. Præterea 150. equites custodiæ D. Friderici additi.

In pago dicto Huysvvaert, Fernandus Toletanus consanguineus D. Friderici castra metatus fuerat, qui Prætor octo signa ductabat Hispanorum quos recens miserat Italia, vti ante dictum est, quorum cohortes 25. numero fuere, satis copiosæ, quarum singulæ fermè ducenta capita numerasse creduntur.

Pagum Diuo Pancratio sacrum obtinuit Polvvijlerus cum senis cohortibus, quibus coniunctæ fuere quinque cohortes Domini de Bily Præfecti Groningæ.

Pagus Coedijck dictus Dinastę de liques Præfecto Harlemensi fuit designatus, eiusúe Legato Vicario qui duodecim cohortes ducebat. Eeodem loco substitit & Baro de Cheureaulx cũ octo signis Burgundionũ.

Bergam siue Montium insedit Dominus Capreanus cum decem VValorum è Belgio cohortibus.

Apud Neoportum consederant septem Hispanorum cohortes, deinde Georgius Fronsberghs duodecim cohortium Germanorum militum bene armatorum ductor. Præterea Otho Ebersteinius Comes cum tribus cohortibus.

Cohortes in vniuersum fuere centum viginti & vna, quæ principio ad obsidionem Alcmariæ deductæ traduntur, è quibus nonnullæ postea ad aggerem Schellingvvoudanum & classem Amsterodamæam fuerant traductæ. Supernumerariæ fuerunt duæ turmæ equitum expeditorum, quorum ad velitationes vsus esse solet, & ala equitum Germanorum quæ Georgium Schenckium sequebatur.

Loci sic corrigendi.

Pagina	1	machmationes		machinationes
	1	tationes		rationes
	4	temutate		tenuitate
	5	certantum		certantium
	8	eonsilia		consilia
	8	Cæteram		Cæterum
	9	persngaiumque		perfugarumque
	12	desectu	Lege	defectu
	17	nemero		numero
	17	domu in		domum
	17	quibusda		quibusdam
	18	machmatione		machinatione
	19	qnam		quam
	20	omn no		omnino
	20	lacunm		lacuum
	28	incantius		incautius

Pagina	26	repeti	reperti
	26	sudsidet	subsidet
	27	pleuum	plenum
	27	molendiuo	molendino
	29	sit	fit
	30	cendentium	cedentium
	31	videdatur	videbatur
	31	vocani Lege.	vocant
	32	Hispanus	Hispanis
	32	Hispauus	Hispanus
	32	casnm	casum
	38	suerat	fuerat
	42	agicolis	agricolis
	43	host s	hostis

Paginarum numerum (cum Typographus propter earundem paucitatem omiserit) a prima incipiendo colligas.

DELPHIS
Excudebat Vidua Harmanni Schinckelij, M.D.LXXIIII.





